Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26581
Copyright: Admont, Benediktinerstift

iaceatis quam in remotis locis. donec dominus imperet uentis et mari. et quiescant fluctus eius. Ad quod periculosum est uobis et ignominiosum. det uobis dominus spiritum consilii. ut meliora eligatis. et que sunt periculosa fugiatis.

De ordinatione regis Francorum.

Nouerit sancta romana ecclesia. nouerint omnes ecclesie ad quas multimoda fama peruenit. nos in consecratione Ludouici regis Francorum nichil nostrum quesiuisse. sed pro communi utilitate regni et sacerdotii consulte uigilasse. Erant enim quidam perturbatores qui ad hoc omni studio uigilabant. ut aut regnum in aliam personam transferretur. aut non mediocriter minueretur. Quod ne fieret operante deo et pro integritate regni. et pro tranquillitate ecclesiarum quantum potuimus precauere studuimus. Unde liuori ascribendum uidetur aut timori si quis tali et tam honeste actioni derogetur. quam nec ratione potest redarguere nec consuetudine infirmare nec lege dampnare. Si enim rationem consulimus. iure in regem est consecratus cui regnum hereditario iure competebat. et quem communis consensus episcoporum et procerum iam pridem elegerat. Preterea que ratio est belgicorum regem suum care et consecrare quamuis in aliis prouinciis regnaturus sit si ita ipsorum regum uoluntas et temporum atque locorum opportunitas se obtulit. eadem est celticorum et aquitanorum qui belgicorum prouincie metropoli debent. regnum suum quamuis et in belgica regnaturus sit eligere. et omni regi debitum obsequium exhibere. Si uero ad consuetudinem recurrimus quod in exemplis maxime declaratur. respondemus ex uerbis augustini. quod ratio exemplis ante ponenda est cui tamen et exempla concordant. Ecce rationem dedimus quam apud eos eque ualidam super hoc negotio inueniri non credimus. Addamus et exempla rationi concordantia. Sicut legitur in gestis Francorum diuiso regno inter filios Lotharii. nepotes Clodouei Caribertus et Gunthrannus prouincias celticorum et aquitanorum in regnum suum susceperunt. et alter eorum Caribertus scilicet Parisius sedem regiam sibi posuit. et usque ad fluuium Garunnam regnum suum extendit. Gunthrannus uero Aurelianis sedem regiam sibi constituit. et Burgundiam que celtice pars est in regnum accepit. Isti quippe reges nullam a remensi archiepiscopo benedictionem uel coronam acceperunt. sed a sacerdotibus prouinciarum quas regebant sublimati sunt et sacrati. Postquam uero regnum Gallorum in suam monarchiam reuocatum est deleta progenie Clodouei Pipinus et filius eius Carolus. et Carlomannus nec remis nec a remensi archiepiscopo in reges sublimati sunt nec inuncti. Ludouicus quoque nepos Ludouici senioris apud Ferrarias qui locus est in pago Senonensi. et uxor eius nullo presente metropolitano. a quibusdam episcopis in reges sunt consecrati et coronati. Unde in gestis Francorum ita legitur. Audiens Hugo abbas et ceteri primates qui cum filiis quondam senioris Ludouici agebant. Ludouicum nepotem cum uxore sua ad has partes ~~suas~~ uenturum quosdam episcopos miserunt ad Ferrarias monasterium. et ibi consecrari eos et coronari in reges fecerunt. Item in gestis Francorum. Supererant duo filii Roberti comitis andegauorum qui fuit saxonici generis uir. senior ex his Odo dicebatur. Robertus alter. Ex his maiorem natu Odonem Franci et Burgundiones Aquitanienses que proceres congregati in unum licet reluctantem tutorem Caroli pueri regnique eligere gubernatorem. quem unxit Walterius archiepiscopus Senonum. Item. Carolus simplex in carcere posito Rodulfum nobilem filium Richardi Burgundionum ducem quem de sacro fonte susceperat una cum consilio Hugonis magni filii supradicti Roberti. et proceres Francorum in regnum sublimauit. Unctus uero est in regem ipse Rodulfus. iii. idus iulii Suessionis ciuitate. Post mortem Rodulfi regis per Willelmum archiepiscopum reductus est ab Anglia Ludouicus filius Karoli simplicis in Franciam. et xiii. kalendas iulii unctus est in regem apud Laudunum. Post translationem uero regni Francorum in progeniem Hugonis magni ducis Robertus piissimus rex filius Hugonis regis. Aurelianis est in regem coronatus et consecratus. Cuius filius Hugo iuuenis Compendii est unctus. et in regem sublimatus. Ex his et huiusmodi exemplis manifestum est quod Francorum reges non omnes in remensi ecclesia uel a remensibus archiepiscopis sunt consecrati. sed multi in multis aliis locis et a multis aliis personis consecrati sunt. que omnia si recitarentur. et prolixam facerent orationem. et superfluam disputationem cum nullis scriptis uel exemplis probari possit remensem archiepiscopum Francorum regem extra belgicam unxisse aut coronasse. Cum enim eadem sit potestas